



## **Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia**

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis  
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium  
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum  
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed  
Theologis ...

**Drexel, Jeremias**

**Antverpiæ, 1643**

Cap. I. Certum est in cuiusvis hominis morte arcanum peculiare iudicium  
exerceri, seu reddendam esse rationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

# TRIBUNAL CHRISTI.

SEV

ARCANVM AC SINGVLARE CVIVSVIS  
hominis in morte IVDICIUM.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

*Certum esse, in cuiusvis hominis morte arcanum,  
peculiare Iudicium exerceri: seu, Red-  
dendam esse rationem.*

§. I.



ICTORVM mos est, cum exte-  
riores ædium parietes picturis  
ornant, sub rudi velario pingere,  
partim ne ducentem lineas sol  
intespeller, partim etiam ne ad-  
stantium oculi opus imperfectum  
præmaturè censeant. Absoluta  
ejusmodi pictura, velarium  
crassum amouent, & summi cujque de opere jam perfe-  
cto, loquendi ac judicandi arbitrium permittunt.

Humana vita hinc pingendi modo simillima est. Plu-  
rima cogitamus, plurima facimus, quæ nullus mortali-  
um videt, quæque ad nullius notitiam perveniunt. Solus  
& unus DEVS eorum arbiter est. Nil clausum, nil  
velatum DEO est; divinis oculis parent omnia. Cum  
verò ad finem deducitur vita, jamque manus amovetur  
de tabulâ, tunc oppansâ prius cortina diripitur. Quod  
Siracides significanter admodum his verbis expressit:  
*Malitia horæ oblivionem facit luxuria magna, & in fine homi-  
nis DENUDATIO OPERVM ILLIVS.* Unica, inquit, ho-  
rula, delictarum & voluptatum, quæ præcesserint, om-  
nium oblivionem inducet. Mortis angor gaudiorum  
propterea omnium memoriam velut spongia delebit,

*Claudianus  
de bello  
Gotic.*

*Sap. cap. 5.  
vers. 8.*

*Semperque vicissim.*  
Gaudia præmissa cumulant inopina dolores.

Vis horæ unius omnem præteriti luxu suavitatem abo-  
let: finis gaudiorum dolor. Hinc illi clamores admo-  
dum sonori, sed nimium feri: *Quid nobis profuit superbiæ  
aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?* En operis  
finem, sed tristem! Et in fine Denudatio operum, ho-  
minis. Hæc Theologi\* de die mortis, & de secreto cu-  
jusvis hominis in morte Iudicio interpretantur. Atque  
hinc Theologorum verbis & ore pronuntiamus: Se-  
cretum in cuiusvis hominis morte Iudicium exerceri,  
est de fide.

Quemadmodum verò vitrum soli objectum secreta  
omnia, & penitissimas pandit rimulas: ita cum nos

\* Ita Iansenius, Lirani, Paulus de Palatio in Ecclesiasticum.  
Bellarminus 1. de beatitud. cap. 3. Suarez tom. 2. in partem 3. D.  
Thoma disp. 52. sect. 2. Salazar in 1. 2. q. 5. art. 3. tract. 2. disp. 10.  
sect. 5. Vasquez disp. 19. cap. 2. alij Theologi.

A Christo soli objiciemur, nostra omnia patebunt. Sicut Archime-  
des autem Archimedes urente speculo ad solem directo dis specu-  
lulum vultus  
naves Marcelli combussit: ita nos nobis ipsis objecti  
tanquam speculum, quod ex irati judicis vultu flammæ  
ebibet, nostra omnia conspiciemus nuda, & tabesce-  
mus. Defecimus, inquit, rex David, in ira tuâ, & in furore tuo. Psal. 89.  
turbati sumus. Et causam addit: *Posuisti iniquitates nostras v. 7. & 8.*  
in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui.  
Errores, peccata, negligentia, occulta & abscondita no-  
stra omnia è Dei vultu lumen accipient, & tanquam in  
pellucido vitro patebunt. Hoc Deus jam assidue mi-  
natur: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Opera Psal. 49.  
jam sunt peccata dum vivimus, ideo non terrent vers. 21.  
nos: in fine vitæ denudabuntur, & in ordinem disposita  
objiciuntur intenda ei qui patrauerit illa. *Intelligite  
hec, qui obliviscimini DEVM: ne quando rapiat, & non sit vers. 22.*  
qui eripiat. Huc animum advertite, hæc cogitare: Adit  
profecto dies, quo abstrusissima quæque revelabuntur:  
ne fidei secretis cubiculis, nec artificiosis dolis, quibus  
alios capitis: capiuntur vicissim & rapiuntur, nec erit  
qui eripiat. Est ergo religionis nostræ assertio, secretum Iudicium  
hoc Iudicium in cuiusvis hominis morte fieri. In fine particulare  
hominis denudatio operum illius. est de fide.

§. II.

QVANI videntur sibi felices jam & beati? expectant Beatitudo  
paululum. Mors brevi dicit, qualis hæc fuerit ante mor-  
beatitudo. Monet Hebræus Sapiens: *Ante mortem ne  
tē incerta.*  
laudes hominem quemquam. Eccli. 6. 11.  
vers. 30.

*Scilicet ultima semper  
Expectanda dies homini est, dicitur, beatus  
Ante obitum nemo, supremæque funera debet.*

Hoc ipsum Bernardus animo inscriptum retinens: Bern. ser. 5.  
Quomodo, inquit, securæ laudatio, ubi nec ipsa vita securæ die festo  
Illorum lauda virtutem, quorum jam certa victoria est. Illos Sæctorum  
devotus extolle præconis, quorum securæ potes adgaudere omnium. Post  
coronis. initium.

Interrogatus olim Epaminondas, quis inter militis Epami-  
Duces videretur omnium fortissimus? ipse. an Cha- nondæ de  
brias, an Iphicrates, an quis alius? Istud quidem respon- fortissimo  
dit, dum vivimus nimis quàm arduum est effari. Ulti- militum  
mus vitæ dies de singulis fert sententiam. Iudicium. in  
Plutarch. in

Ejusdem prorsus animi Agesilaus, cum audiret quem- apophlegm.  
piam, qui regis Persici etiamnum juvenis summam feli- gratia.  
citatem miraretur, & extolleret: Eho, ait, hæc parcius.  
Nam nec Priamus quidem, cum hujus esset ætatis, erat Idem in 21.  
infelix. Nimirum vitæ finem expectandum censuit, qui 21 illius.  
hominis felicitatem si vera fuit, detegeret. Sapienter ergo Sophocles in  
Sophocles: Nondum, inquit, appellato magnum, ante- Oedipo.  
quam defunctum videris.

Scd

*Ambr. 10. 1. in exordio, sed in fine est. Er causam alibi apponens: Si Laudari, ait, ante gubernator non potest, quam in portum navim deduxerit: quomodo laudabit hominem, priusquam in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, & ipse vite huius iactatur profundo. Quamvis in solo est, & vidui inter naufragia. Dux ipse nisi confecto praelio non sumit lauream; nec miles arma deponit, nec stipendii mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis, gratia missionis est.*

In morte pictura nostra erit absoluta, & ideo rude velum, quod hactenus pingentes tlexerat, diripietur. In fine hominis, denudatio operum illius. In fine aperietur liber, in quo moriens homo totam vitam suam historiam, nec vel apice, nec punctulo quidem omisso cernet & perleget; bonas & malas actiones mixtim inveniet.

\* *Quae Vigilantius, dormitans in plurimis haereticus contra garrice ausus est, ea erudit & nervosè Hieronymus jam olim refutavit. Tarsensis Paulus velut praeco proclamat Orbi: Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem, iudicium. Non solum universale, sed secretum ac peculiare quoque iudicium hic promulgari afferunt prisci Patres. Et illud Siracidae in testimonio laudant: Facile est coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas. Quid clarius? Liqueat igitur è paginis divinis singulos homines ad secretum tribunal eo die iudicari, quo eos contigerit mori.*

Ita priscorum Patrum senatus loquitur. Theologiae Sol Thomas Aquinas: Praeter iudicium, inquit, quod in iustitiam hominis morte fit, finale iudicium esse oportet. Addit: Anima separata à corpore habet statum immutabilem, & accipit suum iudicium. Eiusdem animi Joannes Damascenus: Ajunt viri divinitus illustrati, inquit, quod cum exhalamus spiritum, quasi in libro humana opera probantur. Neque Chrysostomus aliter: Praesens haec vita, inquit, rectè vivendi occasionem & opportunitatem habet; postquam verò diem tuum obieris, iudicium & poena consequitur.

Et seipsum explicans Chrysostomus: Sicut illi, ait, qui è carceribus educuntur, una cum ipsis carenis ad iudicium protrahuntur: Sic omnes anime cum hinc emigraverint, variis peccatorum carenis implicite, ad terribile illud decus Tribunal. Confessa res, & prae ipso meritis clarissima.

## §. III.

**P**Riorum omnium sententiam Augustinus luculenter confirmat. Nam ubi de Vincentio Victore agit, Petrum presbyterum his omnino verbis alloquitur: *Ista rectissime & valde salubriter credit, iudicari animas cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet, iam reddituri corporibus, iudicari. Et dicta firmans: Quis adversus Evangelium, inquit, tantà obstinatione mentis obduravit, ut in illo paupere, qui post mortem ablatus est in sinum Abrahae, & in illo divite cujus infernus cruciatus exponitur, ista non audiat, vel audita non credat?*

Hic iure proclamem: Quid amplius egemus testibus? Augustinus loco mille testium est, qui signatis tabulis, valde salubriter & rectissime credi, affirmat, iudicari animas cum de corporibus exierint. Quod ut tantò explicatius doceat, addit: Antequam veniant ad illud iudicium, quo eas oportet, iam reddituri corporibus, iudicari.

Sed antiquior Augustino Cyprianus Carthaginensis episcopus & martyr sanctissimus, Tertulliano ferè coaevus rem hanc explicatissime tradens: Quis, inquit, non omnibus viribus elaboret, ut cum Christo statim gaudeat? Clauduntur oculi in persecutionibus terrae, sed patet celum. Quanta dignitas & quanta securitas exire hinc latum? exire inter pressuras & angustias gloriosum? Claudere in momento oculos quibus homines videbantur & Mundus, & aperire eodem statim, ut Deus videatur & Christus? Tam velociter migrandi quanta felicitas? ut terris repente subtraharis, ut in regnis caelestibus reponaris? Quod si certum post vitae lu-

Tom. I.

A Etiam mox sequi primum; necessarium, non differri iudicium.

Sed antiquior Cypriano Tertullianus, quamvis longè obscurior, contra eum, qui secretum illud in hominis morte iudicium negat, differens: Quid amplius, inquit, vis esse mortem, confusa spe, & incertà expectatione ludentem? an vite recensum jam & ordinationem iudicii inborrentem? Præbiri putas iudicium an incipi? precipitari an præministrari? Tertullianus haereticus hic oppugnans: Num animæ, inquit, post egressum è corporibus incertæ & ambiguae de statu suo, usque in diem iudicii supremi permanent, & quod sequitur neque primum, neque supplicium ad illud usque tempus recipiunt? Ita sanè mors meliorem hominis partem spe confusa & expectatione incertà luderet. An non ergo potius *Vita recensum*, seu, plenam recognitionem, & ordinationem iudicii tunc animus horret & expavescit? Neque universali iudicio illi per istud secretum quidquam demitur. Quod enim in singulos homines peculiari iudicio decernitur, illud omnibus & singulis hominibus iudicium parefaciet supremum. Quod jam non præcipitatus, nec præbatur, ut Afer loquitur, sed potius incipit & præministratur. Quod cum Augustino & Tertulliano Ambrosius dissimile dixit: Statutum est omnibus semel mori, & post mortem iudicabitur unusquisque juxta merita sua: ante mortem nulla est perfecta laudatio.

Et ratio id facile persuadet. Cum enim in morte, tempus bene malèque agendi sit exhaustum, par est omnino, ut unusquisque de vitae suae actionibus iudicium, quale quidem promeritus est, subeat. Cur enim istud ulterius differatur? Hac certè dilatio multum affligeret iustos, de sua salute incertos, neque hæc afflictio is ad salutem quidquam prodesset. Imò probi juxta & improbi toto tempore inter mortem & supremum iudicium interfecto forent æquales, ob statum dubitationis & formidinis penum.

## §. IV.

**E**Dictis clarum est, secretum atque peculiare hoc In morte iudicium sic peragi, ut in sua unicuique morte, sententia pronuntietur, è qua intelligatur animus, quid de se futurum sit totà æternitate.

Quando igitur tam divinæ paginae, quam sancti Patres, complura Concilia, Theologi omnes affirmant, unumquemque hominum mox à morte sua præmiis vel supplicii affici, sequitur evidentissimè, prius etiam unumquemque iudicari. Hoc autem aliud non est, quam suum in æternitate statum cognoscere.

Post hominis mortem præmia vel supplicia mox se. Mortem qui, res certa & Christianæ religionis dogma est. Christo utique id è cruce pronuntiant credemus: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Stephanus non tantum celos vidit apertos, sed petiit insuper spiritum suum à Christo suscipi. Paulus cupit dissolvi, & esse cum Christo. Frustrà hoc cuperet si ad Christum ante iudicium supremum pervenire non posset. Joannes caelestium arcanorum conscius vidit beatos Martyres in celo stolis albis amictos, & palmas in manibus eorum.

Supremo die iusti salutis suæ jam certi, stabant in magna constantia adversus eos, qui se angustaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Hinc ad primum à morte statim accipiendum Paulus nos erigens: *Scimus, inquit, quoniam si terrestri domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod adificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in calis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, qua de celo est, superinduit cupientes.*

\* Ergo anima corpore soluta iudicii supremi diem non expectat dormiendo, sed vel inter delicias caelestes, vel inter flammæ Avernæ novum æternumque conubium præstolatur. Quod clarissimè Tertullianus in advesarium pugnans: *Salvum debet esse, inquit, in iudicio anima c. ult. divino mihi p. 505.*

*Tertullian. l. de anima c. 58. seu ult. mihi p. 505. In editione Jacobi Pamelii.*

*Ambr. tom. 1. l. de bono Mortis cap. 3. mihi pag. 378.*

*Cur homo de vitæ suæ actionibus iudicium quale meritis est in morte subire debet.*

*Pronuntiat. tur.*

*Apoc. c. 7. vers. 13. & seqq.*

*\* Anima corpore soluta ad caelestes delicias vel flammæ destinatur. Tertull. l. de anima c. ult.*

divino negotium suum sine ulla prelibatione sententia: tum A  
quia & carnis operienda est resurrexio, ut consortis operarum  
& mercedum. Quid ergo fiet in tempore isto? dormiemus? At  
enim anima nec in viventibus dormiunt, corporum enim est  
somnia, quorum & ipsa mors cum speculo suo somno. Aut nihil  
vis agi illis, quod universa humanitas trahitur, quod spes omnis  
sequestratur? Itaque statutum est hominibus semel mori,  
post hoc autem Iudicium.

## CAPVT II.

Quid secretum, peculiare Iudicium, seu,  
quid sit rationem reddere.

## §. I.

Quadrupli discrimine ad Iudicium secretum ho-  
mines ex Orbe hoc evocantur. I. Sunt qui senten-  
tia Iudicis audita statim transeant ad aeternam felicita-  
tem. II. Sunt qui pariter statim à Iudicio rapiantur ad  
aeterna supplicia. III. Sunt quos inherentes navi non-  
dum expiati à conspectu Numinis abstineant. IV. De-  
nique sunt quos sola inquinata noxa primigenia. His  
omnibus subeundum est Iudicium peculiare ac secre-  
tum. Illud autem ab universali Orbis Iudicio differt,  
loco, tempore, Iudicis Majestate. Alio certe loco gens  
humana omnis conveniet, seu Josaphati vallis, seu alia  
pars terrae ultimo huic Tribunali sit assignanda. Sed alio  
quoque tempore totum genus humanum, & alio sin-  
guli homines judicabuntur. Nostrum autem non est nosse  
hæc tempora & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.  
Sed & supremi Iudicii apparatus longe alius erit quam  
Secreti, longè major Iudicis Majestas. Tunc enim non  
solum universi homines, sed etiam tam beati quam  
damnati Angeli ad dexteram lavamque Iudicis sistentur,  
in classes sanè diversissimas distributi. Tunc omnium  
omnino hominum conscientia pendetur, velut libri  
undequeque apertissimi, omnibus legendi. In arcano  
Iudicio unius solum hominis conscientia pater detecta.  
Quid ergo est arcanum hoc & singulare Iudicium?

## §. II.

Hic, mi Lector, non multis te morabor, sed ut cœ-  
pi hoc Caput, ita quam potero, tam dicenda con-  
feram maximè ad compendium. Sed erit quod iuxta  
mecum summè mireris. Si Theologos interrogem de  
hoc Iudicio, facilis ac prompta responsio. Homines  
non Christianos miror, non interrogatos, de hoc ipso  
appositè respondere.

Iob cap. 38.  
vers. 36.

Gentiles  
de singula-  
ri cuiusvis  
hominis  
iudicio dis-  
seruerunt.

Platonis  
de Iudicio  
particulari  
sensus.

Iob querit: Quis dedit Gælo intelligentiam? Non mi-  
nus queri potest: Quis homini Gentilitatis tenebris  
oppresso dedit scientiam? Quis ei tantum lucis infudit?  
Obstupescit prorsus homines, qui nullam Christianæ  
religionis disciplinam acceperunt, quos Deus sui no-  
titiæ non afflavit, eò quacunque demum ratione pro-  
gressos, ut de arcano ac singulari cuiusvis hominis Iudi-  
cio perspicue ac enodate differuerint. Num istud scien-  
tiæ è divinis voluminibus, num è priscis Patribus, an  
è solo naturæ lumine id hauserunt? Audite quid philo-  
sophorum apex, quid sapiens Plato, de hoc ipso pecu-  
liari Iudicio sentierit. Verba tam illius, quam ceterorum  
optimâ fide adnumerabo.

Plato dialogum de Rhetoricâ scripsit, cui titulum  
præfixit Gorgias. Hic mentione factâ Iudiciorum, de  
eo quod cuiusvis hominis mortem consequitur, ita dis-  
serens: Nudi, ait, his omnibus sunt iudicandi. Sunt enim  
iudicandi post obitum. Mox suam Iudici potestatem  
definiens, Iudicium quoque ipsum esse nudum oportet,  
mortuum videlicet, & ipso dumtaxat animo, inquit,  
animum ipsum respicientem statim post insperatum cui-  
usque obitum: animum, inquam, à cognatis omnibus

desertum, omnemque ornatum exterioriorem relinquen-  
tem in terrâ, ut iudicium iuste procedat.

O vera hæc, verissima de nostro Iudice, Christus Do-  
minus verè nudus ab omni affectu, verè iudicatus &  
ipse à prælide Pontio, verè mortuus, & iudiciariam  
hanc potestatem in omnes consecutus moriendo.

Pergit Plato: Cùm igitur ad iudicem pervenerunt,  
Rhadamanthus \* eos sistens, uniuscujusque animam in-  
tuetur: cuius tamen anima illa fuerit non animadvertit.  
Sed plerumque magni Persarum regis, aut alterius re-  
gis, live potentis obvium animum contemplatus nihil  
in eo reperit sani: sed perjuriis atque iniustitiis quasi qui-  
busdam verberibus cicatricibusque infectum, qualia  
cujusque actio contraxit impressitque animo, omnia-  
que oborta mendacis atque vanitate, nihilque recti  
habentem, quia sine veritate fuerat educatus: Præterea  
ob peccandi licentiam & petulantiam, mollè quæ la-  
sciviam, & in actionibus singulis intemperantiam, in-  
compolitum penitus atque turpem. Animum igitur  
contemplatus sic affectum ignominiosè, rectâ in custo-  
diam transmittit, ubi meritis subire pœnas oportet.  
Pergit Philosophus: Convenit autem omnem, qui ab ali-  
quo rectè punitur, vel ipsum fieri meliorem, utilita-  
tè quæ percipere, vel ceteris exempla dare, ut alii pœ-  
nas ejus conspicientes, meliores ob timorem efficiantur.  
Qui verò apud Deos & homines ita dant pœnas,  
ut utilitatem inde aliquam referant, hi sunt qui peccata  
sanabilia commiserunt, quibus dolor cruciatulque pro-  
dest, & apud homines & apud inferos. Non enim aliter  
quis potest ab iniustitiâ liberari.

Quis obsecro arcanum istud de peccatis levioribus & gra-  
vioribus Platonem aperuit? Peccatum letale verè insanabile. Sed  
Platonem porro loquentem audiamus.

Qui autem, inquit, extremâ iniustitiâ detinentur, ac  
propter ejusmodi delicta sunt insanabiles, ex his exem-  
pla sumuntur, ipsique nullam amplius utilitatem inde  
reportant, utpote qui sanari non possunt: sed profunt  
dumtaxat aliis per exemplum, qui eos intuentur pro-  
pter flagitia maximis & terribilissimis pœnis omni tem-  
pore cruciatis, tanquam exemplum monimentumque  
& spectaculum apud inferos in carcere præbentes in-  
iustis omnibus, qui ad ea loca descendunt.

## §. III.

Quid, oro, clarius & quid magis Christianum de infero-  
rum suppliciis, deque damnatorum catervis Chrystos-  
mus aliquis, aut Augustinus dixerit? Sed nunc audite Reges &  
intelligite, audite Principes & præfides, audite opulenti ac di-  
tes, audite quicumque alii potentes, quid de vobis, vestroque vi-  
tæ genere divinus Plato sentiat. Hæc illius verba sunt:

Arbitor autem in eorum numero qui solum exem-  
pla tradunt, plurimos esse tyrannos, reges, potentes, ci-  
vitarum gubernatores. Quippe cùm hi ob peccandi  
licentiam gravissima profanissimâque peccata com-  
mittant. Nihil tamen prohibet, inter hos etiam bonos  
quosdam esse viros: & certè qui talis fuerit, mirificè  
est colendus. Nempe arduum est, ô Callices, ingen-  
tisque laude dignum, ut quis in magnâ peccandi licen-  
tiâ constitutus iustam transigat vitam: paucique tales  
reperiuntur.

Plerique autem, ô vir optime, potentum improbi  
sunt. Quamobrem, ut dicebam, quando Rhadaman-  
thus aliquem ejusmodi deprehendit, nihil aliud in ipso improbi-  
novit, neque quisiâ sit, neque ex quibus ortus, sed  
utrum sit malus: cùmque id compererit, dimittit in  
Tartarum, obsignans utrum sanabilis vel insanabilis vi-  
deatur. Ille verò illic transmissus meritis subit pœnas.

Interdum verò alium intuitus animum, vel privati-  
vel alicujus alterius, qui piè atque integrè vixerit:  
quod quidem Philosophis \* potissimum contingere ar-  
bitror, rem suam agentibus, neque multis se negotiis phi-  
an-impli-

Christus  
optimus  
Judeus ex  
sententiâ  
Ethnicorū.

\* Sæverus  
Index.

Rhadama-  
thus Judeus  
mortuo-  
rum apud  
Ethnicos.

Plato  
Gorgias  
lib. I.  
cap. 5.  
vers. 524.  
D.

Plato  
Gorgias  
lib. I.  
cap. 5.  
vers. 524.  
D.

Plato  
Gorgias  
lib. I.  
cap. 5.  
vers. 524.  
D.